

1511 Ferrarensis ducis patruelis frater, aliquo claro loco natī quatuor. Melzius adversa valetudine conflictatus in itinere interiit. Eodem fere tempore a Gallorum hostium equitibus, vado in Lquentia flumine invento, incursionses sunt usque ad litus, quod majus appellatur, & vicina tribus portubus litora, qui portus a septentrionibus prope ad urbis æstuaria pertinent, omnia prædantibus armentaque abigentibus, factæ: atque ii redire ea cum præda volentes, quod flumen imbribus creverat, trajicere non potuerunt. Ea re a Patribus intellecta, missi cum cymbis bellicis e plebe urbana qui illos interciperent, celeritate non magnopere usi, eos in castra revertisse intellexerunt, quatuor equitibus in flumine amissis.

Petrus etiam Dureus non multo ante a rege Hispaniæ ad Maximilianum legatus pacis cum Patribus ineundæ causa missus; cum apud illum dies aliquot fuisset, Venetias venit, hortatusque Patres est, ut inducias cum Maximiliano facerent: quarum induciarum tempore pax tractari commode conficie inter ipsos posset. Senatus literas Romam ad legatum dedit, qui de eo Julium certiorum faceret, eumque ad fœdus de quo pridem agebatur, conficiendum omni studio & diligentia hortaretur: quod quidem fœdus impediri ulla induciarum tractatione nolebant. Idem Patres sanxerunt, ut quæ oppida, quæ ve arces captæ ab hostibus fuissent, earum magistratus & præfecti, qui eas tradidissent, qui ve profugissent, in urbe se ad carcerem sisterent, ut de eis judicium fieri posset. Ex iis pridie non. octobris vigintiduo numero in publicas custodias profecti sunt, adhibito suo præde quilibet, e custodia se non abiturum. Romæ autem paucos post dies legato procurante fœdus ab Julio & Ferdinandō & Venetis percussum est: quo fœdere Ferdinandus mittere ad Julium viginti dierum spatio tenebatur equites gravis armaturæ mille ac ducentos, levioris mille, militum decem millia: & si mari opus erit bellum facere, triremes undecim: quam quidem militum & equitum manum in regno Neapolitano jam prope paratam habebat:

Galli usque  
ad Vene-  
tum litus  
excurrunt.  
III. non.  
est.

Fœdus inter  
Julium,  
Ferdinan-  
dum & Ve-  
netos  
V. id. cit.